DE DIFFICILI IN MORBIS SPASTICIS EPICRISI

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS CONSENSU
ET AUCTORITATE
IN
UNIVERSITATE LITERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIV M. AUGUSTI. A. MDCCCXIX.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

CAROL. EDUARD. THUEMMEL
BEROLINENSIS.

H. L. Q. S.

BEROLINI.
FORMIS THEOPHILI BRÜSCHCKE.

VIRO

EXPERIENTISSIMO DIGNISSIMOQUE

ERNESTO LUD. HEIM

UTRIUSQUE MEDICINAE DOCTORI, MEDICO PRACTICO BEROLINENSI, REGI A CONSILIIS REI MEDICAE INTIMIS, ORDINIS AQUILAE RUBRAE CLASSIS TERTIAE, STELLAEQUE BOREALIS SUECICI EQUITI, SOCIETATIS ERLANGENSIS ALIARUMQUE SODALI

PIA MENTE

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

D. D. D.

AUCTOR.

Lecturo S.

Non dubito, fore plerosque, L. B., qui argumentum hujus dissertatiunculae, neque commode delectum, nec rite adumbratum et illustratum censeant. Sed hi fere erunt qui omnis indulgentiae in judicando expertes, nil nisi quod summa perfectionis laude floreat, gratia sua amplectuntur. Quorum opinioni, si Tu quoque L. B. adstipularis, consideres velim, diversam esse ingeniorum rationem, aliam viros, aliam juvenes, scribendi materiam sibi desumere, omnesque ex viribus esse metiendos. Nec quidem in tanta rerum medicarum copia et varietate optima quaeque semper eliguntur. Etenim si quid est, quod medico tironi arriserit, ut animum suum in conscribenda dissertatione ad hoc attendat, sexcenties jam aliorum eorumque praestantissimorum opera descriptum

offendit. Quantum ergo difficultatis unicuique offertur, qui hujusmodi argumentum novis additamentis et experimentis adornare voluerit.

His rite pensitatis, in eo elaboravi, ut quam difficilis sit spasmorum diagnosis et quam facile cum aliis morbis praesertim inflammatoriis confundatur, adrumbrarem. Cui operae si minus satisfecisse Tibi videor, exiguam adhuc experientiam et librorum paucitatem qui semper hac medicinae disciplina exposuere, accuses velim.

Vale.

Introductio.

Magna et innumerabilis morborum multitudo, qui a teneris inde ad supremum usque vitae terminum mortales infestant ac discrutiant, contextum quasi implicatissimum oculis nostris offert. Atque per omnem saeculorum seriem experientia et medicorum studium, tantum abest, ut hunc labyrinthum illustrarent et expedirent, ut permulta ad nostrum usque aevum tsnibris obumbrentur. Huc prae ceteris nervorum morbos pertinere, quis est qui dubitet? quorum scilicet natura ne hiscè quidem temporibus summo summorum artis heroum studio ac labore erui potuerit. Quum Anatomi mirum nervorum decursum bene investigarent, multo minus accurate eorum structuram et usum illustrare potuerunt; aeque ac Physiologia quae Anatomiae ceu fundamento superstruitur, de functionibus et nervorum natura nos ambiguos tenet.

Proinde si eorum usum ac functiones ignoremus, morbi quoque multum obscuritatis exhibeant necesse est. Hanc vero pertaesi incertitudinem medici intervallum conjecturis et ratiociniis veritati propioribus, explere conabantur, quibus factum est, ut rei natura obumbraretur magis, quam dilucidaretur.

Cum corpus nostrum tribus condatur systematibus, tria etiam morborum genera esse oportet. Sunt morbi sensibilitatis, irritabilitatis et reproductionis; cui vero morborum divisioni natura adstringi non solet. — Nervi enim propter magnam amplitudinem quovis in morbo magis minusve patiuntur, et si unum systema est affectum, alterum facile simul laborat, imo vero omnia corripiuntur systemata.

De Spasmo.

Morbi systematis nervorum diducuntur in morbos nervorum, ubi ipsa nervorum materia offenditur, et in morbos nervosos, in quibus Anatomorum exploratio nervorum vitia reperire non potuit, ubi igitur nervorum vis sola laborat *)

---

*) Boerhaave De morbis nervorum

Haec vero nervorum vis vel imminui vel augeri potest, illud medici paralysin, stuporem, hoc, ubi ea est aucta, modo gratum sensum, modo dolorem, modo spasmum nominare consueverunt.

Notio spasmi.

Morbi quidem nominantur spasmi, qui medii quasi sunt inter systematis sensibilitatis et irritabilitatis morbos, et systemati utrique, non alterutri solum competunt. Spasmus igitur est musculorum actio sine voluntate morbose provocata.

Divisio.

Si pars aut universum corpus nunc contrahitur nunc laxatur, motibusque alternis praeter naturam atque voluntatem concutitur, motu clonico seu convulsivo seu nervorum distentione laborare dicitur. Si vero rigescit et tenditur, nulla inter posita relaxatione, idque constanti et vehementi musculorum flexorum aut extensorum aut aliorum quorundam actione fit, motum tonicum, et spasmum s. conductionem et nervorum rigorem medici nuncupant. *)

---

*) Burserii. Institutiones. Tom III.

Variae species.

Quod si nonnullae tantum partes ejusmodi rigore afficiuntur, tetanus partialis oritur e. g. si corporis musculi flexores antrorsum tenduntur et obrigescunt Emprosthotonus, si retrorsum, Opisthotonus nuncupatur, ubi vero latus alterutrum contrahitur, Pleurothotonum vocant medici rel. Ubi vero totum corpus rigescit Tetanus universalis oritur. Tali etiam modo motus clonici s. convulsiones, universales aut particulares esse possunt.

Symptomata spasmi.

Praetermissis da causa proxima conjecturis, cum vix quidquam novi afferri possit, ne longus evadam, ad symptomata spasmi statim me converto. Si spasmus partes occupat externas, facilis est cognitu, quia hae vel convelluntur vel rigent. Si vero partes internae in spasmum conjiciuntur, affectus ejus omnes nisi qui a functione laesa et dolore oriuntur nos praetereunt. Et certo saepissime discretu difficillimum est, partes internae spasmo clonico seu convulsioni, an tonico aliisve obnoxiae sint affectionibus. —

Mihi igitur modo symptomata partium internarum describenda censui, quia, si corpus externum infestatur, non confundi potest cum aliis affectionibus, v. c. cum inflammatione et aliis.

Sin autem organa interna spasmo offenduntur, minus ex oculorum adspectu, quam aliis ex signis morbum cognoscamus necesse est. Hoc igitur dolore, vel functione laesa et potissimum e corporis habitu fit.

De Dolore.

Omnis quidem dolor a nervis pendet, sed pro natura sua alius in inflammatione, alius in spasmo est. Dolor enim spasticus primarius quasi est, nempe a nervis exit, sed dolor in inflammatione sanguine vasa vehementius irruente gignitur, quippe qui nervos stimulat. In universum vero dolor iste, licet nervis semper inhaereat, a systemate tamen irritabili et sensibili vicissim excitatur.

De dolore spastico.

Hic dolor plurium opinione rarior est, inflammatorio, vel potius eo, qui sanguine oritur ad partem affectam aggesto. Sunt vero morbi, qui adoriuntur partes valde nervosas, cum eodem tempore vasorum et sanguinis vis prostrata sit. Partes illae, in quibus istum dolorem observamus praeceteris cerebrum, intestinorum tractus, pleura, Diaphragma, Peritonaeum, et interdum partes extremae sunt.

Hunc etiam dolorem pathologi nominant contrahentem, intermittentem, vagum, lacerantem et pungentem absque sensu ardoris.

Animadvertitur tantummodo in morbis nervosis, quos ex aegroti corporis habitu cognoscimus, igitur corpora muliebria, laxa, debilia et inania his morbis spaticis praeceteris patent, quippe qui remediis antispasmodicis aut levantur, aut sanantur.

De dolore inflammatorio.

Hic saepe valde distat a priori. Ubi inflammatio partibus externis inest, quae nervis utuntur, dolor est pungens, urens, fixus, continuus, pressione augetur, aegrotique sensum veluti ex carbone candente ortum queruntur. Si vehementior est illa, febris oritur; quia inflammationis irritamentum nervos valde stimulat, etiam dolor increscit. Hic status remediis antiphlogisticis coërcetur, et dolor simul desinit. Ubi vero partes inflammatae sunt internae, alia est cognoscendi ratio, nisi dolore superiori simili, febre propria et functione laesa. Si inflammatio in partibus internis est, quae nervis intertextae sunt multis, febris non quidem tam evidens, sed saepe quidem abest.

Partes multis vasis sanguiferis instructae nervis vero destitutae, si inflammantur, febrem ingentem gignunt sed nullis perstringuntur doloribus e. g. hepar, aut pulmones aut splen inflammati.

In inflammationibus chronicis, in congestionibus, inprimis organorum internorum major sit obscuritas necesse est, quia, hic status pro causarum diversitate admodum variat. Deinde si morbus spasticus est levissimus, diagnosis in utroque casu ambigua est, quia scire non possumus, utrum dolor (unicum saepe symptoma) a sanguine, an a nervis ipsis dependeat. Saepe igitur morbus est compositus, et si nec doloris ratio, neque corporis habitus, neque functiones laesae diagnosin luculentiorem reddunt, medicamentorum effectus lucis aliquid suggerunt. Morbus enim, si spasticus est, medicamentis debilitantibus augetur, sin inflammatorius, antispasticis non cedit. Multi etiam a fibra vel laxa, vel rigida pendent, sic ut nervina excitantia, corporibus laxis, fibra autem rigida et temperamento cholerico (quod plerumque adjungi solet) instructis, demulcentia et relaxantia magis conveniant. Haud raro autem in exemplis est, ut habitu corporis valde sensibili, status quasi inflammatorius oriatur, qui cautius modo remediis antispasmodicis levioribus, modo antiphlogisticis et temperantibus est curandus.

De functione laesa.

Juxta dolorem functio etiam laesa, criterium vix non gravissimum ad diagnosin clarius eruendam praebet. Functio enim alicujus partis inflam-

matione laesa, hac increscente magis vitiatur, decrescente, liberatur. e. g. in gravedine (tunicae Schneiderianae inflammatione) nares obstruuntur, dum inflammatio persistit. Si vero haec inflammatio est chronica, ideoque nec exacerbatur, nec remittitur, partis aegrotantis functio continuo laedatur necesse est; quod facile cum vitiis organicis, propter similitudinem confundi potest. Morbi spastici ejus partis, quam invadunt, functionem alienant, sed per vices pro natura sua liberam dimittunt. Aegroti igitur soluto insultu organis modo detentis, libere utuntur. v. c. in Asthmate spastico, Colica spastica etc. Si vero inflammatio aut spasmus occupat partes, quae functioni eminentiori non praefectae sunt, hoc signum etiam nihil ad morbum cognoscendum praestat.

De corporis habitu

Hoc duce potissimum medicum usu multo versatum uti licet. Corpora mulierbria, tenuia, debilitata cum pulsu parvo et contracto, imprimis morbis spasticis patent; sed rigida, plena, et fortia cum pulsu celeri pleno, inflammationi. Idque signum, ubi morbus uterque non est simplex, sed quasi mixtus et compositus, saepe fallit, et dubitationes admittit. Nec in aliis unquam morbis facilius, quam in subtilissimis his, diagnosis et epicrisis magis ambiguae et obscurae sunt.

Quum vero in utroque morbo, dolor esse soleat, signis opus est, quibus alter ab altero distinguatur. Disciplina pathologica quidem discrimen docuit, licet eadem non ubique iis sit certitudo et auctoritas. Partes valde nervosae spasmis tentatae, dolent, qui quidem dolor saepenumero ab aegrotis sine insigni corporis reliqui mutatione sustinetur. Pars vero inflammata aeque dolet eoque dolore diutius tenente totum vasorum systema simul corripitur. Haud raro vero evenit, ut inflammatio partis non tanta sit, quanta febrem movere possit; quo in casu discrimen doloris inflammatorii et spastici fere nullum est. Nota alia distinctionis, cui major fides habenda, in eo posita est, quod dolor inflammatorius, augetur calore, spasticus vero diminuitur ac discutitur. Ille exasperatur remediis incitantibus, hic mitigatur. Itidem ille pressione loco dolenti adhibita, ingravescit, hic nihil mutatur. Hinc liquet, omnia illa driscrimina nequaquam diagnosin certam sistere, nisi ad constitutionem aegroti, causas morbi, et omnia omnino symptomata attendas. Est tamen conditio, cui aliquid inflammatorii accedit, symptomata utriusque generis plus minusve exhibentur.

Liceat mihi nunc historiam feminae cujusdam ad curandum mihi traditae hisce pagellis adjicere, quo exemplo, superiora illustratum et compobratum iri existimo.

Mulier triginta circiter annorum, cui anno aetatis vigesimo primo menstrua nondum fluxerant, plures per annos, cum quater partum edidisset, spasmis hystericis insultabatur; menstruorum fluxus semper parcus et alienus, repente desiit, spasmi majori vi quotidie cruciavere aegrotam. Deinde dolorem pungentem lateris inter respirandum sensit, pulsus erat frequens, facies rubra, oculi fulgentes, et morbus insuper indolem inflammatoriam traxit. Primo sumsit: rad: Valer: infus c. liquore ammon: acet:, per plures dies, et febre paulatim decrescente, dolor lateris pleuriticus haud mediocris, una sopitus est. Quum insuper linimentum saponato-camphoratum repetitis vicibus per diem inungeretur, tandem post tres fere menses, spasmi hysterici, remediis antispasmodicis valentioribus cesserunt. Et si dolore pleuritico, febre, aliisque signis inflammatoriis, quae modo congestiones spasmo ortas indicabant, deceptus, remediis debilitantibus usus fuissem, quin spasmi increvissent morbusque in deterius abiisset, non dubito.

Non solum vero, ut iam supra posui, spasmus cum inflammatione, sed etiam cum vitiis organicis maximam saepe exhibet similitudinem, hoc est cum symptomatibus spasticis quae vitiis illis organicis inducuntur, et medicos usu quidem exercitatissimos haud raro fallunt. Quis enim morbos cor-

cordis organicos a dynamicis s. spuriis seu spasmis, vel a morbis praecipue nervosis vicinarum partium semper argute distinguere valet? Quis semper cardialgiam organicam a spastica? quis Epilepsiam ex vitiis organicis ortam, a dynamica? quis denique colicam et plures alios morbos rite omni modo dijudicaverit, nisi causas, corporis habitum, vitae rationem, symptomata communia etc. bene inspexerit. Saepissime multa demum annorum series, aut ipsa mors clariorem lucem super morbum diffundit. Quamquam medici certam differentiam inter haec eruere sunt conati, irritis tamen conatibus ad hunc usque diem inhiarunt. Has omnes morborum formas plus minusve ita spasmi hysterici imitantur, suamque ipsorum indolem iis occultant, ut optimus quisque medicorum, incertus teneatur, dum ex vicibus perpetuis multis variisque hysteriae medicus suspicionem concipit.

Sydenhamus *) jam dies inquit, me deficeret si omnia quae affectus gravant hystericos symptomata enumerare velim, tam diversa atque ab invicem contraria specie variantium, quam nec Proteus lusit unquam, nec coloratus spectatur Chamaeleon.

---

*) Opera medica. Epist. ad Cole.

Et hic quidem notandum est, quum fere nulla pars corporis humani nervis careat, et paucissimae sint, quae sensu non gaudeant, nervi non solum, si ipsi vel cerebrum et medulla spinalis tentantur, sed aliae etiam partes si periclitantur, patiantur necesse esse. Quocirca difficillimum et saepenumero fortasse impossibile est, notam certam exhibere, qua omnes nervorum morbi, ab omnibus aliis possint distingui. Et nullum fere morborum genus est, in quo symptomata tam contraria observentur, quam in morbis spasticis maxime in hysteria.

Commodissimum hic esse locum judico, cui historia morbi inseratur, qui cordis affectionem simulans, solo spasmo provocatus erat.

Puella viginti quinque annorum, corporis habitu tenui, sensibili, tamen vegeto, anno decimo quarto paulo ante mensium fluxum dolore vago corporis insultabatur, qui menstruis apparentibus desiit. Ante annum repente dolore pungente in cordis regione et simul cordis palpitatione, angore et affectu asthmatico infestabatur. Menstrua paulum levaminis attulerunt, verumtamen maxima cum vi redibant affectus. Dolor erat continuus et minimus quidem motus, palpitationem induxit. Tum totum thoracis latus sinistrum convulsionibus occupabatur, nunc frequentissime nunc rarius per diem repetentibus. Praecipue vero quoties

manus ad sinistrum capitis latus admoveret, vel decubitu supino porrigeret corpus, atrocissimis convulsionibus et maxima dyspnoea agitabatur.

Quamobrem per plures hebdomadas miserà die noctuque somno propemodum omni caruit, nec nisi ad latus dextrum curvata quiete exigua fruebatur. Pulsus brachii sinistri explorari non potuit; dextri fere durus, cordis motiones vehementissimae et inordinatae, febri vero vacavit; remediis tandem antispasmodicis adhibitis, quinto circiter mense prorsus est sanata.

Epicrisis.

Quae cum ita sint, causas mihi investigandas esse puto, quae horum phaenomenorum rationem continent, quibus si quid ego judico, hae fere maxima cum probabilitate inseri possunt.

1. Conspiratio intima singulorum corporis humani systematum; quam talem esse existimo, ut vix quemquam praeterire possit.

Commune scilicet est nervorum vinculum, quod totum corpus omniaque ejus systemata nexu arctissimo perplicat, ut, quae in singula agunt cum omnibus fere communicentur. Parte aliqua corporis vel internis vel externis rebus irritata, systema nervorum in eandem affectionem conjiciatur necesse est, cum nervorum praesentia in

omnibus propemodum partibus evidentissimo Anatomiae et physiologiae testimonio comprobetur.

2. Ex his ipsis facili negotio apparet, magnam esse symptomatum vel in diversissimis affectionibus similitudinem, quibus medicus in dignoscendo haud parum incertus teneri soleat.

3. Tertiam causam sympathia sistit, et universalis et propria, quarum potissimum haec epicrisin morborum spasticorum summis difficultatibus imbuit, siquidem organon vere affectum, nulla subinde affectionis symptomata exhibet, cui cum ipso talis sympathia est propria.

a. Sympathia propria capitis cum aliis organis in morbis. Dolores capitis non raro nausea et vomitu stipantur, et simul clara lux strepitusque oculos auresque offendit. Vulnera et contusiones cerebri plerumque vomitum biliosum efficiunt. Tristitia, ciborum appetentiam minuit, ac metus interdum Diarrhoeam movet.

b. Si lux clara repente oculis oborta est sternutatio interdum excitatur, soloque periculi adspectu pallescit facies et cutis ut dicunt anserina fit. *)

c. Sonus quidam ingratus stridens, nonnullis hominibus dentium dolores infert.

---

*) Hippocrates. Libr. de Humoribus.

d. Odores salium volatilium dolorem efficiunt supra supercilia. Sunt quibus solis rhei odoribus alvus exernatur. *)

e. Haud raro evenit, ut dens cariosus dolorem sano paret, qui remoto illo desinit. Infantes teneri dentientes vomitionibus, Diarrhoeae tussi convulsionibusque sunt obnoxii.

f. Si larynx vel trachea stimulantur, tussis, nausea et vomitus oriuntur.

g. Diaphragmate inflammato, propter sympathiam etiam cerebrum, faciei musculi, ventriculus etc. laborant, nec risus sardonius, deliria atrocissima vomitusque hoc in morbo desunt.

h. In morbis ventriculi et intestinorum interdum capitis dolores, vertigo oritur, et oculi caligant. **) —

Inflammationi intestinorum saepe apud populos australes Opisthotonus et Tetanus etc. nec raro vomitus urinaeque retentio apud nos accedunt. Intestinorum vermes narium pruritum efficiunt.

i. Hepatis inflammationi plerumque vomitus et singultus superveniunt, et suppuratio hujus

---

*) Boyle Usefulness of experimental philosophy.

**) Lommii Observationes med. Lib. II.

visceris saepe aegrotis rigorem et debilitatem brachii dextri pedisque infert.

k. Renum inflammatio nauseam saepe et vomitum, obstructionem et intestinorum inflationem efficit — renis alterius inflammatione, propter spasmum sympathicum, urinam alter non emittit.

l. Calculus aut vesicae ulcus, dolorem aegrotis afferunt urethrae apice perstringentem.

m. Partes etiam genitales, magnam ob sympathiam mutationem totius corporis provocant. e. g. in pubertate vox mutatur.

n. Uterus inflammatus et conceptio vomitum nauseam, ciborum fastidium, et menstruorum fluxus, capitis, dorsi, intestinorum dolores provocant. Praeceteris vero mammae si uterus mutatur, afficiuntur. v. c. in graviditate.

o. Hac etiam sympathia partes extremae non carent. Vulnus enim plantae pedis, spasmum cynicum, Trismum, Opisthotonum et convulsiones efficit.

Hanc sympathiae propriae varietatem verbis exprimere difficillimum, quin adeo impossibile est. Quamvis multi in eo elaboraverint, ut exempla notatu dignissima nobis proponerent. Haec vero sympathia utrum nervo sympathico maximo, an aliis, medullave spinali vel alio modo inducatur,

diiudicare vix ausim; nosse sufficiat, eam adesse, et peritissimum quemque interdum decipere.

4. Causae quae omnibus omnino morbis clariorem lucem afferre et possunt et debent, nisi quis soli empiriae insistere velit, tam exiguae saepe et tantis tenebris involutae sunt in morbis spasticis, ut medicum observantem haud raro lateant, imo ne sciri quidem possint; et tamen levissimae earum, propter nervorum teneritatem, spasmos atrocissimos inducere valent; quae licet sint notissimae, pro diverso corporis habitu, in alio tamen aliam spasmi formam efficiunt.

5. Dubitationem mihi recipere non videtur, quin diathesis quaedam interna ad spasmos obtineat, qua id facultatis causis impertitur, ut facilius quamlibat spasmorum formam evocare queant.

Corpus muliebre, natura tenerius, mollius et incitabilius, educatione magis etiam fotum praeceteris hac diathesi pollet.

Imitandi cupido, superbia, contumacia praejudicatae opiniones, ideas iis suppeditant, quas pertinacissime persequi consueverunt. Mulier placens sibi visa, talique statu oblectata, qui ideis suis perficiendis idoneus est, levissimo malo quoslibet morbos praebet, quorem formas, cum vel ex toto absint, vel aliter existant, nec cognoscere nec rite curare licet, nisi ingenii acumine et calliditate medici sabvenientis. —

Hisce expositis, quamvis non in totum Tibi L. B. satisfecisse mihi videar, quum et ratio et finis hujus opusculi me impedirent, quominus omnia prolixius explanarem, ad Tuam tamen confugio humanitatem, quam talem esse mihi persuasum habeo, ut, quae indulgentia indigeant non severiori judicio submittas. —